


DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
CURATIONE
GANGLIORUM

—
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE ATQUE DECRETO
CELEBERRIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI
PRO
*GRADU DOCTORIS MEDICINÆ
ET CHIRURGIÆ*
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, IMMUNITA-
TIBUS ET PRIVILEGIIS RITE LEGITIMEQUE
ACQUIRENDIS
PUBLICÉ DEFENDET
P E T R U S F R I D E R I C U S W E Y L A N D
M E I N E R T S H A G E N S I S.

DIE XI JANUAR. MDCCCLXXXVII.



D U I S B U R G I,
TYPIS VIDUE BENTHONIANÆ, ACAD. TYPOGR.

GA

haben

I.

descrip-

niter

PAUL.

ponen-

II.

tumo-

culati-

mias



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CURATIONE GANGLIORUM.

§. I.


GANGLION est morbus chirurgicus, cuius duo
habentur genera:

I. *Ganglion Veterum*, imprimis a Græcis Medicis
descriptum, est morbus nervorum, a Ganglio commu-
niter sic dicto plane diversus. AETIUS ^{+ derundina} & ^{ee. 15 ap. 1} PAUL. ÆGINETA & alii verbo hoc denotabant ^{+ derundina} ^{ee. 167 ap. 1} concre-
pionem nervorum nodosam.

II. *Ganglion vulgare*, Germanis *Oberbein* dictum,
tumorem designat cysticum, circa tendines & arti-
culationes obvium, qui materiam continet plus
minus glutinosam; hinc voces γάγγλος & γάγγλα

A

a



a γαστρί nascor, & γλίᾳ viscum deducendæ esse videntur.

De posteriori gangliorum genere præcipue disserendi animus est, de priori breviter tantum & prius quidem agam.

§. II.

Ganglion, quale a Græcis descriptum est, merito *ganglion nervorum* dicendum, est morbus nervorum cutaneorum, ganglio Anatomicorum quodammodo comparandus, tumor nempe durus, quasi cartilagineus, magnitudinis grani hordei, interdum lentis, imo pisii, raro majoris, maxime dolens, imprimis sub motu corporis præcipue membra, in quo ganglion hæret, interdum etiam non moto corpore, tota nocte imo nocte dieque ægrum excrucians.

Sedes hujus morbi merito a b. CAMPERO a) in integumentis nervorum cutaneorum statuitur. Videtur nempe adesse quoddam inter filamenta nervi extravasatum, quod hæc violenter distendit.

Si cultro aufertur, apparet esse tumor durus, rugosus, globosus vel ovalis, vero anatomicorum ganglio fere similis, interius tamen albam, cartilagineam quasi substantiam habens, imo interdum osseam inducere

a) Demonst. anatom. patholog. lib. I, cap. 2.

+ + + + +

ducere posse naturam, ex observationibus quibusdam
non improbabile est.

Ut plurimum in crure, rarius in brachio occurrit,
in crure cutim super achillis tendinem vel suram oc-
cupare solet.

Atrocissimos solet creare dolores, vix tolerabiles,
& si adsunt, a motu membra levissimo, maxime
increcentes.

Origo morbi dubia est. Veteres deducebant a
difficili labore, contusione, &c. Nobis oriri videtur
a distensione nervi nimia, qua forte fibræ disrumpun-
tur & a se invicem dimoventur, unde extravasationi
humoris cujusdam, quicunque demum ille sit, locus
dari potest.

*Palliative juvant interdum narcotica externe ap-
plicata, imprimis tinctura opii vel solutio extracti
opii aquosa frictione applicata, quo dolores sæpe
leniuntur.*

*Curatio vero hujus mali radicalis certa & secura
fit tumoris extirpatione, dum integumenta super tu-
morem inciduntur & ganglion ipsum facili negotio
cultro exciditur.*

§. III.

Ganglion vulgare est species aneurysmatis vel varicis, non quidem arteriae vel venae, sed vaginæ tendinis aut bursæ mucosæ aut capsulae articulationis; in his enim locis sedem habet, & oritur vel ex illarum partium in parvo loco dilatatione & extensione, vel ex fibrarum quarundam in ipsis dilaceratione aut saltetum fibrarum a se invicem dimotione, unde humori contento synoviali exitus inter fibras externas patefit, interior vero receptaculi tunica simul cum humore per exterioris ambientis membranæ fibras perrumpere solet, & sic tumor cysticus formatur, materiam continens ut plurimum glutinosam, synoviae quodammodo similem.

§. IV.

Causam præbent ut plurimum externa violentia, contusio, distorsio, violenta distentio, compressio, conquassatio impetuosa sub intenso labore, iactu, lapsu, unde nascitur tumor durus, elasticus, indolens, cuti concolor, a magnitudine lentis ad ovi columbinæ & majus volumen increscens, initio paululum mollis, dum vero augetur, interdum insigniter durus, quasi osseus, qui per annos sine dolore & saepe sine incommodo permanet. Dum vero continuo increvit,

erescit, novo semper ex causa forte repetita humore affluente, ob volumen interdum motum membra liberae impedit & ob disformitatem, quam causatur, ægrum de cura sollicitum reddere potest; sibi relictum vero periculum non involvit.

Ganglion autem si causticis, vulnere vel & externa quacunque læsione irritatur, interdum inflammat, suppurat, & inepte tractatum affectus spasmodicos graves, ulcerationemque malignam saepe excitare adeoque periculum inferre solet.

§. V.

Curatio ganglii fit vel *resolutione*, vel *contenti* ex eystide *evacuatione* vel *extirpatione*.

§. VI.

In gangliis minoribus & non valde vetustis tentandum est, ut humor contentus dissipetur & saccus contrahatur vel coalescat.

Hoc fit vel per medicamentorum externorum dif-
cutientium applicationem, vel per frictionem, vel
per compressionem; possunt & haec simul & conjunctim adhiberi.

His si curatio non succedit, saccus vel vi disrum-
pendus, vel cultro incidens vel extirpandus est.

§. VII.

§. VII.

Resolutio s^ep^ee difficultis est & rarius succedit, quia saccus ex fibris tendineis vel ligamentosis constat, medicamentisque hinc difficultem accessum præbet; sed tentare licet, quia nocere non facile possunt.

Adhibeantur quæcunque discutientia potentiora ad tumores imprimis frigidiores, cysticos, glandulosos, scirrhos &c. laudata, etiam ea, quæ irritare possunt, quia rarissime inflammatio metuenda est; a veris tamen septicis abstinere oportet.

Videntur vero imprimis ea medicamenta juvare, quæ cum frictione applicati solent, cum & hanc solam interdum sufficere constet.

§. VIII.

Medicamenta, quæ maxime laudari solent, sunt:
Ex Emplastris: Emplastra mercurialia. Edimburgense, de ranis cum mercurio Vigonis, diabotan. cum mercurio passim ab Authoribus commendata, experientia teste, interdum curam absolvunt.

Emplastrum de cicuta, imprimis insperso pulvere folior. Belladonnæ vel ex mercurio & cicuta simul. Et Empl. de ranis cum mercur. 3 β. Empl. cicut. cum G. ammon. 3 ii. mercur. viv. gr. xvi. minii 3 i.

styrac.

styram. liquid. q. s. f. Empl. omni quarto die reno-
vandum.*)

Emplastrum diaphoret. Mynsicht. cum Empl. dia-
chyl. composit. 1).

Emplastrum ex *Gummi ammoniac.* & sagapen. aa.
ʒ 1. in acet. & spir. vin. solut., addit. pulv. sulphur.
viv. a PARAEUS 2) laudatur.

Empl. ex *Gummi ammon.* ʒ II. in acet. q. s. solut.
addit. antimon. crud. subtilissime triti ʒ β 3).

Emplastra de *Gumm. ammoniaco* ab antiquo 4)
jam laudata, nuper novam sibi famam meruerunt,
imprimis G. ammon. in acet. squillitico solutum 5).

Emplastrum ex cl. laurin. ʒ VII. ol. lil. alb. ʒ I.
G. ammon. G. bdell., G. galb. an. ʒ III. spir. vin.
ʒ II. rad. ireos nostr. ʒ I. Sal. ammon. sulphur. citr.
vitriol. roman. aa. ʒ β ceræ q. s. 6).

Emplastrum vesicatorium cum multa camphora 7).

*) ALLEN apud FAURY. Vid. infra Nro. 3.

1) PLATNER Chirurgie §. 786.

2) Chirurg. lib. VI. p. 21.

3) FAURY in Preisschriften der Pariser Academie der
Chirurgie, p. 341.

4) Cf. etiam FORESTUS Observ. chirurg. lib. II. cap. 9.
VILAR: Chirurgie, Ed. germ. Leipz. 1747. T. II.
p. 289. PLATNER Chirurg. §. 786.

5) EVERIS Wahrnehmungen von der Anchylosi.

6) PARAEUS Chir. lib. VI. cap. 21.

7) JAEGER Chir. Kautelen 2 band, 1789.

Ex Fomentis & cataplasmatibus :
Cicutæ folior. recent. contusor. applicationem laudat RICHTER 1).

Radix lapathi contus. 2)

Belladom. folia rec. contusa vel eorum infusum 3).

Sedi majoris folia mane & vesperi recenter adpli-
cata laudat ETTMÜLLER.

Semen sinapi lutei jejune masticatum 4).

Deinde linimenta commendantur, quæ vero cum
frictione applicanda sunt, & per hanc sine dubio
majorem habent efficaciam.

Olea præcipue emollientia, amygd., lini, oliva-
rum, &c.

Oleum therebinthin. 5).

Oleum lumbriticorum 6) cum oleis emollientibus
mixtum in recenti ganglio certum dicitur remedium.

Oleum scorpionum 7).

Porro

1) Wundarzneikunst T. I. §. 505.

2) DIGY Arzneibuch p. 97.

3) RICHTER I. c. §. 505.

4) CRATO v. KRAFFTHEIM Arzneikunst Sect. II. cap 9.

5) PLENCKII Mater. chirurg. p. 339.

6) PLATNER I. c. p. 786.

7) GRÜLING Arzneibuch P. IV. cap. 4.

* * *

Porro Linimenta :

Linimentum volatile.

Linimentum ex sal. volat. C. C. scr. i. butyr. insulsi rec. 3 iii. frictione applicatum, ubi dein tumori imponendum est unguentum ex G. ammon. galban. aa. 3 i. sapon. venet. 3 β & mellis q. f. super alutam extens. imponatur 1).

Linimentum ex sapone veneto & oleo laurino cum salis q. f. 2)

Linimentum ex sapone veneto & sale culinari bis de die frictione applicatum, dum in intervallis compressio adhibebatur, utilissimum inventum Cl. VAN GESCHER 3).

Fell tauri cum sale volatili C. C. ut remedium praestans extollitur 4).

Spiritus saponis aliquoties de die frictione applicatus, & noctu linteum eo madefactum impositum parva ganglia sanare 5) dicitur.

Oleum

1) BERNSTEIN Praktisches Handbuch für Wundärzte, Art. Ganglion

2) BALTAZAR Chirurgische Wahrnehmungen 2 St. 1788.

3) Hedendagsche oefenende Heelkunde, I D. 1 St. §. 659.


4) RICHTER I. c. §. 505.

5) SCHMUCKER Chir. Wahrnehm. 1 Theil. PLATNER Inst. chir. Ed. KRAUSE 1783. & RICHTER I. c. §. 505.

Verg 574

*Spuriorum alijs hinc de pectoris applicatio est huius quae ad quatuor partem
ad utramque pectoris operam 14 dolos. frigida pectoris syph. t. 211. 1756.*

10



Oleum petræ & oleum philosophorum 1).

Balsamus vitæ Hoffmanni externus 2) saepe ganglia recentia curasse dicitur.

Unguentum ex mercurii vivi thereb. extincti 3 β axung. leporin. 3 v. olei ceræ 3 vi. olei dest. menth. gtt. iii. nuperrime 3) maxime commendatum est, si vesperi tantum ad volumen lentis tumori fricando applicatur & sequenti mane locus aqua frigida abluitur.

Salivam ex equorum ore spumantem 4) Quidam.

Plures vero saliva u. jejuni hominis commendant.

Aquam suam vulnerarium laudat Cl. THEDEN 5).

Tandem & Electricitatem ad ganglia discutienda 6)
in usum vocandam esse legimus.

Superstitiosa & sic dicta sympathetica, qualia sunt
contactus ganglii a moriente homine vel mortuo,
specia-

1) HEISTER Chirurg. cap. 171. §. 4.

2) JAEGER Chir. Käutelen 2 Band, 1789.

3) Reichsanzeiger, Jul. 1796.

4) P. PANSA Apothek. p. 238. Cf. PURMANN Chirurg.
cur. T. I cap. 25.

5) Neue Beobachtungen 1 Theil. p. 25.

6) RICHTER I. c. §. 505. BELL Wundarzneikunst, T.
IV. p. 312.

speciatim manus filii septimi 1), quæ strumas, ita & ganglia curare dicitur, abstersio cum induvio, recenter mortui sudore emortuali adhuc madido, & similia, a plebe adhiberi solita, a Medicis merito improbantur.

Cum plura quandoque ganglia simul in eodem homine observata sint, adeoque causam forte internam subesse posse conjiciendum sit 2), interna temedia, causæ, quoad hæc constet, opposita negligenda non sunt, quare scorbuto, podagræ, arthritidi, lui venereæ aliisque, quæ huc ferre credita sunt, mederi ex officio Medici esse dicitur 3).

§. IX.

Alterum ad resolvenda ganglia remedium est *fri-
ctio*, quæ maximæ quidem efficaciæ est; hæc vel sic-
cis digitis vel panno laneo aut linteo fit, vel olea,
linimenta, spiritus &c. supra recensita simul applican-
tur.

Frictio sola sèpius de die repetita & per plures
septimanas

1) JAMES Dictionnaire de Medecin. T. IV. p. 21.

2) RICHTER L. c. §. 503.

3) VILARS Chirurgie, Ed. germ. Leipz. 1747. T. II.
p. 289.

optimanas continuata, ganglia recentia s^epissime dissipavit, humor enim contentus, adhuc tenuis, partim invitatur relegere orificium, per quod in saccum intravit, dum saccus frictione comprimitur & ad contractionem & contenti evacuationem incitatur, partim vi^s vasorum absorbentium frictione, instar stimuli agente augetur, humorque ab his resorbetur, simulque saccus contrahitur.

§. X.

Frictionis vero utilitas insigniter augetur, quando simul externa discutientia adhibentur, fricandoque applicantur; ante alia hoc scopo commendatur saliva jejuni, imo quocunque tempore secreta, quae simul resolvente vi insigni pollere creditur; non multo minorem vim habere dicuntur olea dulcia, præcipue amygdalarum aliaque emollientia, dein & linimenta: volatile ceteraque supra dicta discutientia. Possunt, ut eo certius resolutio fiat, in frictionum intervallis, tumoris applicari Emplastra mercurialia, de Gumm. ammoniaco, & quæ §. VIII. enumerata sunt.

Morsicatio, quam olim commendabant 1), si unquam juvavit, similis, quam frictio, vi egisse videtur.

Vole-

3) JUNCKER Conspectus chirurg. p. 165.

Volebant nempe, ut æger ipse vel alias quidam cum decente modestia, *morsicando* tumorem tales emolliat, & sensim quasi concerpat.

§. XI.


Si frictionis negotium non succedit, *Compressio* in usum vocanda est, quæ est quasi frictio continuata, & interdum cum hac simul utiliter adhibetur. Multi 1) enim amant frictionem cum resolventibus omni mane adhibere, & dein compressionem applicare hasque alternare volunt, sed videtur tamen in compressione vix non major vis adesse, si per longius temporis intervallum compressio intacta relinquatur, vel saltem, si strictura forte remiserit, denuo comprimitur. Tumore vero sic compresso humor contentus expellitur partim per viam, qua intravit, partim per auctam irritationem vasorum absorbentium actionem; parietum facci etiam adproximatione novus humoris accessus arcetur.

Compressio vero fieri solet corpore duro, glande, lamina plumbea vel alia 2), linteo obvoluta, ope fasciæ rite & cum vi applicatæ.

Quidam

1) HEISTER l. c. cap. 171. §. 4.

2) Globulum adhibere, quo animal serum, imprimis cervus, trajeclum & interteclum fuit, superstitionum est.



Quidam amant adhibere laminam plumbeam nudam, & quidem, ut vis (ita sentiunt) major sit, mercurio vivo, cui resolvendi potentiam adscribunt 1), illitam.

Certius juvat compressio, quando simul totum membrum fascia obvolvitur, e. g. digitum cum manu & antibrachio, quod Cl. THEDEN 2) suadet, simulque fasciam aqua vulneraria saepius madefieri vult.

Compressio initio sit moderata, sed sensim, imprimis tumore emollito & cedente, fortis. Cave tamen, ne compressionem ultra modum adstringas, unde inflamatio & suppuration in cute, ulceraque difficulter sanabilia oriri possunt 3).

Monendum tandem est, compressionem topicam in locum affectum ipsum tunc tantum adhiberi posse, quando ganglion ossi insidet, quod imprimis in carpi & metacarpi dorso obtinere solet, in aliis vero locis compressioni, saltem locali locus non est, compressio vero membrae totius i. e. obvolutio fascia ambiente totum membrum, qualem Cl. THEDEN commendat, fieri potest.

§. XI.

1) HEISTER l. c. VILARS l. c.

2) Neue Bemerkungen, l. c.

3) Teste Cl. BELL l. c. T. IV. p. 312.

* * * * *

§. XI.

Si ganglii resolutio ope medicamentorum vel & frictionis & compressionis frustra tentata est, vel ubi ob duritatem, & magnitudinem tumoris dissipatio stagnantis liquidi exspectari nequit, humor per *sacci disruptionem* vel *incisionem* evacuetur.

§. XII.

Disruptio fit vario modo. Si tumor durus est, frictiones, ut eo certius succedat disruptio, antecedere debent, imprimis emollientibus externis per quatuordecim circiter dies continuatae.


Dein membrum, in quo ganglion haeret, in mensa vel corpore firmo figitur, & ganglion ope pollicis manus omni, qua pollet Chirurgus, vi comprimitur, vel, ut major sit efficacia, lamina metallica vel moneta tumori imposita eodem modo adprimitur.

Si hoc non succedit, pugno 1) tumor pulsandus, vel & hoc non juvante, malleolus vel ligneus secundum HELVETIUM, buxo confectus 2) ex aliorum sententia vel plumbeus aut ferreus, uti alii 3), sed fine

1) MECKEREN Obs. chirurg. cap. 44.

2) VILARS l. c.

3) MUYS Prax. chirurg. Dec. II. obs. 8. LE DRAN Consult. p. 257. VAN GESSCHER Procve over de langduurige Gezwollen &c. p. 82.



sine causa suadent, adhibendus est, quo ganglion semel vel pluries pulsetur, donec sub cute diffiliat.

id Tumore disrupto, locus, ut humor exprimatur, fricandus, dein duro corpore, moneta vel lamina plumbea, quam quidam (VILARS l. c.) mercurio vivo illiniunt, per aliquot dies, immo in vetustis per septimanas comprimentur, quo parietes facci sibi applicati novi humoris accumulationem impediunt, ipsique facilius concrescant.

Ad metuendam forte ex vi adhibita inflammationem, celerioremque tumoris effusi dissipationem, quidam linteum simul imponunt salis culinaris in aqua vel salis ammoniaci in aceto solutione madefactum.

Observandum est, tumores grandiores faciliter disrumpi, quam minores, quare majoribus praecipue pollex vel malleus applicatur, &, quando adhuc parva sunt, exspectandum est, donec increverint.

Facilius quoque rumpuntur, quæ ossi insident. Redeunt interdum disrupta ganglia, imprimis majora, forte ob facci duritatem, & difficilem parietum concretionem, tunc facco iterum repleto, denuo pulsatio instituenda, & post hanc compressio diurna & fortior adhibenda est.

Caute tamen applicanda est pulsationis vis, ne gra-

vius

vius
Lapiob
ditur
sionet
dem
modo

Si
det,
vioris
tunc
vulnau
Inci
ra min
Sun
capsula
aerem
ganglii
capsula
ante op
dimove
stans,
glion c
cidatur


vius malum accedat; quare Quidam, uti GIRARD in *Lupiologia*, disruptionem violentam dissuadent, & diurnam saepiusque repetitam frictionem compressionemque præferunt, methodum nempe, quæ quidem longiorem sed securiorem curam reddit, dummodo ganglion non sit nimis vetustum.

§. XIII.

Si ganglion durum, senescens est & ossi non insidet, disruptio difficulter fit, & non sine læsionis gravioris periculo, imo interdum impossibilis est, quare tunc foccus incidentus est, quo humori contento per vulnusculum effluxus pateat.

Incisionem multi disruptioni præferunt, quia revra minus dolorosa est & securius instituitur.

Sunt vero bursæ mucosæ & vaginæ tendinum instar capsularum articulationum valde sensibiles adversus aërem atmosphæricum, quam ob rem eadem in ganglii incisione cautelæ observandæ sunt, quæ in capsularum articularium incisione commendari solent; ante operationem nempe cutis super ganglion digitis dimoveatur, ita ut pars ejus naturaliter a tumore distans, nunc super eum trahatur, tunc lanceola ganglion cum cute nunc superjacente levi vulnusculo incidatur, subitoque, ne aër intrare possit, cutis re-



tracta & digito tensa, sibi denuo relinquatur, unde
vulnuscula ganglii & cutis a se invicem dimoventur,
vulnusculumque in ganglio cute nunc integra tegitur;
tunc tumor frictione & leni pressione liquidum ex cy-
stide expellente facile dissipatur.

Si tumor omnis disparuit, labia vulneris in cute
emplastro adhaerivo conglutinentur, & ope plum-
beæ laminæ, globuli vel alias corporis duri compressio-
fiat, quo parietes sibi approximati citius coalescant.

Ut omne ex lœsione externa forte metuendum pe-
riculum avertatur, aqua vulneraria Thedenii vel salis
ammoniaci solutione locus affectus humectari potest.

Ita vix unquam non sanatur ganglion, & quidem
sine magno dolore & sine periculo, dummodo satis
caute instituatur operatio.

§. XIV.

Quia ganglion sœpe neque medicamentis neque fri-
ctione dissipatur, neque compressioni cedit, post dis-
ruptionem vero & incisionem interdum reddit; multi
tumorem extirpare, tumoris cystici instar excidere ju-
bent, quo imprimis omne recidivæ periculum certius
avertatur.

Suadent hoc remedii genus Veterum & Recentio-
rum


rum plures, ex quibus SOLINGEN 1), HEISTER 2), PLATNER 3), THEDEN 4), BELL 5), VAN GESSCHER 6) & RICHTER 7) nominari merentur.

Si ganglia inveteruerunt, dura & valde magna sunt, nullum remedium quam excisionem juvare vult Cl. VAN GESSCHER 8).

Cl. BELL 9) sine omni periculi metu ganglia, quando frictioni non cedunt, ob volumen tamen ægrum gravant, excisionem, qualis in tumore cystico fieri solet, institui jubet, incidendo nempe cutim secundum longitudinem tumoris & dein tumorem nudatum excidendo; si ganglion vero loco, cui insidet, tenaciter adhæreat, ganglion incidentum & contentum exprimentum vulnusque tam diu apertum servandum esse vult, donec a fundo nova carne repletum sit; sed

con-

-
- 1) Chirurgie lib. IV. cap. 14.
 - 2) HEISTER Chirurg. cap. 171.
 - 3) PLATNER §. 786.
 - 4) Unterricht für Wundärzte u. Ej. Neue Bemerkungen I Th. p. 25.
 - 5) Wundarzneikunst T. IV. p. 312.
 - 6) Hedendagsche oefenende Heelkunde, I D. I St. §. 659.
 - 7) RICHTER I. c. §. 509.
 - 8) Proeve over de langduurige Gezwollen &c. p. 81.
 - 9) Wundarzneikunst, T. IV. p. 312.



confilium incautum, qualia plura Cl. BELL dedit,
esse videtur.

Ita & Cl. MOHRENHEIM 1) duo exempla assert felicis extirpationis gangliorum in extensoribus digitorum. Tumores, qui nucis juglandis & avellanæ magnitudinis erant, secundum longitudinem incidit, extensam tendinis vaginam cultro abstulit, eoque tres tendines nudavit; tamen aditum aëris liberuni non impedivit, vulnusque simpliciter balsamo arcæ deligavit, donec carne, qua tendines nudatæ obducebantur, vulnus repletum esset.

Aliquam tamen cautelam adhibuit b. SCHMUCKER 2). Incidere quidem tumorem contentumque exprimere jubet, tunc vero vulneris labia futura sicca contrahere, balsamumque vulnerarium Stahlii pluma ceolis, spleniaque spiritu vini camphorato madida superimponere suadet; rarissime sic inflammationem oriri testatur.

Ita etiam Cl. THEDEN 3) ganglia sine metu extirpari vult, suadet tamen vulneris labiorum citam post operationem ope Emplastri adhesivi contractionem,

lin-

1) Beobachtungen. 2 Band.

2) Chir. Wahrnehm. I Theil. p. 574.

3) Neue Bemerkungen, l. c.

linteumque aqua vulneraria sua madidum applicari, simulque fascia longa digitos, manum & antibrachium obvolvi jubet.

Ganglion ovi gallinacei magnitudinis ex pedis distorsione in regione malleoli externi ortum, inflatum & in exulcerationem tendens, magno vulnere & feliciter sine ullo symptomate gravi extirpavit Cl. JAEGER 1). In alio ejusdem magnitudinis ganglio carpi dorsum occupante æque feliciter extirpationem successisse narrat, sed merito dubio locus est, an hi tumores vera fuerint ganglia?

Non tamen semper operationem sine sequenti aliquo symptomate esse, ex narratione Cl. SIEBOLD 2) appetet, qui incisione ganglion magnitudinis castaneæ in metatarso aperuit, & post contenti albuminosi expressionem linteo carpto sicco vulnus deligavit, unde vero post viginti quatuor horas tumor in pede satis magnus ortus est, qui tamen per cataplasma & unguenta emollientia applicata disparuit; post sex dies vulnus suppuravit, sensim incarnatum est & post quinque hebdomades cicatrificatum.

Non

1) Cf. Ejusd. Chirurgische Kautelen. Frankfurt, 1788.
2 Band.

2) Cf. Ej. Chirurg. Tagebuch, Nürnh. 1792.

— + — + —

Non desunt vero Authores ¹⁾, qui operationem hanc experientia edocti dissuadent; gravia nempe inde symptomata, febres, spasmi, præcipue maxillæ spasmus, inflammatio & suppuratio maligna observata sunt; neque mirum, cum ganglion ex partibus nascentur, quæ liberum aëris accessum inique ferunt, prætereaque partium ipsarum vulneratio omni sæpe labore sub operatione non avertenda, graves, imprimis nervosas, sæpe causetur affectiones; notissimum enim est, inde inflammationes gravissimas, spasmos variarum partium interitum minantes, febresque ægrum depascentes sæpe oriri.

Difficilis quoque interdum operatio est neque sine multo dolore fit, quare & in delicatulis, meticolosis & difficulter dolores ab operatione non separandos serentibus vix fieri debet.

Hinc, licet in quibusdam exemplis operatio felicititer successerit, tamen sequentia circa eam observare oportet:

1. Exstirpatione non fiat, nisi antedictis remediis vel locus non sit, vel hæc inutiliter adhibita sint.
2. Si ganglion immobile est, adeoque tenaciter ad-

¹⁾ ELLER in Mém. de l'Acad. de Berlin ann. 1746. p. 109. GIRARD Lupiologie.

hærente videtur, ob læsionem partium tendinosarum non avertendam, periculum certe ab operatione non abest.

3. Sub operatione aëris liberi accessus arceatur, præcipue vero ab aëris accessu cavitas munienda est, ex qua ganglion natum est, vagina nempe tendinis, bursa mucosa vel ipsa articulationis capsula, quare juvat eandem, quæ in incisione simplici supra §, XIII. commendata est, cautelam & hic adhibere, cutis nempe retractionem & in ea loci a tumore aliqualiter distantis incisionem & citam post excisionem labiorum vulneris conjunctionem, quare tumor non incidens, sed si fieri possit, integer extirpandus est.

4. Cave, ne tendo ipse neque partes adjacentes tendineæ, ligamentosæ, nervosæ lœdantur, quia ex earum læsione imprimis symptomata spastica observari solent. Neque tamen facci pars ob metum recidivæ morbi relinquenda est.

5. Inflammatio & suppuratio avertendæ sunt ; quare post operationem statim vulneris labia per futuram sicciam conjungantur, & aqua vulneraria Thedenii, solutione salis ammoniaci cum aceto &c. madida linea superimponantur ; tandem secundum Cl. THEDENII consilium membrum totum fascia obvolvatur, quo humorum impetus & congestio ad locum læsum arceatur.

Si



Sitamen inflammatio vel alia symptomata accedant, venæsectionis, temperantium & externorum discutientium usus negligendus non est. Ita & si spastici affectus orientur, opium magna dosi, ceteraque antispastica adhibenda esse per se patet.


§. XV.

Quidam *Corrosiva* laudant ad suppurationem excitandam, qua ganglion consumatur; lapidis nempe infernalis aliasve corrosivi, imo cauterii actualis applicationem non dissuadent ¹⁾.

Sed ganglion tumor est frigidissimus, & irritantibus, & quæ communiter adhiberi solent, corrosivis difficillimum imo vix possibile erit, suppurationem in ganglio ipso excitare; & quod maximum est, cura hæc periculo plena est, & plane dissuadenda, cum tendines & ligamenta adjacentia ex irritatione ægrius affecta dirissima creare debeant symptomata.

Idem de *Setaceo* valet, quod, æque uti corrosiva in curatione gangliorum plane rejiciendum est.

¹⁾ VILARS l. c.



THESES.

I.

Cor nervis non caret.

II.

Pulmones sunt organa depuratoria.

III.

Ligamentum denticulatum neque ad arachnoideam tunicam, neque ad piam matrem pertinet.

IV.

Datur cacochymia.

V.

In febribus putridis humorum resolutionem adesse negari nequit.

VI.

Petechiæ, etiam febriles, non semper mali ominis, & saepe sine periculo sunt.

35 36 37 38 39. P

35. 36. 37. 38. 39. P

35. 36. 37. 38. 39. P

35. 36. 37. 38. 39. P

II.

Imponere pum obgloq. neq. tenebrionis

III.

et pum obgloq. neq. tenebrionis

VI.

Imponere pum obgloq. tenebrionis

V.

35. 36. 37. 38. 39. P

IV.

35. 36. 37. 38. 39. P

VAL

CEL

IN

GR

SUMM

Jan

